

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 96.

 Mysium-Meum, Die Martis 8 Jan, 1812 (Neov. 21, Dec. 1810.)

Sapientem veterum morem! perfectum illud, quod lente serioque natura constituit, hominis eximiam dignitatem, mox ac anima, agens, se secrevit, solertibus puris solvendi flammis! Cumque cineres favillaque sexcentos inter montes vaporeos astra petiere, atque densas inter nubes aquilae alae, indicio facto strepuere, tum lacrimae siccatae, liber oculorum nutus in terris relictorum hominum Genium novum in beata Olympi spatia prosequebatur.

De Crematione Cadaverum.

In hoc argumento praeclara Ephemeris: Paginae matutinae nuncupata sequens ubertatis plenum complectitur Thema:

„Si modo in brumali Climate nostro, atque lignorum inope regione, illa ad peculiarem artem evecta ac perducta lignorum Oeconomia, et parcimonia, Gentilium cadavera cremandi voluptati oblectationique non adversaretur, quam utique ex vetustatis ignorantia ceu enorme lignorum dispendium mente concipiendi mos est, fortassis inter hodie-nos artificiales ignes, quibus nunnunquam carrus pyrio repletus pulvere in auras elatus integram urbem terrore, lamentisque replet, fortassis, inquam, hinc et illinc ad antiquitatis Classicae regulas rogos, pyraque arde-

ret. — Unus nobilissimorum atque nostrae aetate rerum gestarum gloria praestantissimorum Principum novissime fatis functus Dux Ernestus Gothanus, sequebatur crematione prorsus contrarium morem; cum nec quidem tumbae impositus pannis duntaxat et lodici involutus, in Insula quam in deliciis habebat, *populea* sua seu populis consita in saltu Gothano se exuviasque suas condensas, sepeliendasque demandarit. — Verum tandem et in hoc ambo extrema se exceperere, quippe in utraque via non erat alius finis intentus, quam, qua fieri potest, celeritate vincula fortassis intra ima animae organa Psyche excorporationem procurandi.

Cremare aut tumulare? quid, quaeritur, conformius rationi? i. e. eximius illi fini *Explicationis*, aut si id intelligeretur melius, quid *animificationi* convenientius? haec quaestio profecto si sola philosophica ratione expendatur, difficulter dirimendum argumentum praebere posset. Fortassis historica via securissima ad solvendum hoc problema duceret. Utut sit, virtutes Christianae maxime in sepeliendo se distinguunt, atque *Jus Manuum* non postrema pars est Codicis pro humano genere, quae ad dignitatem humanitatis se attollit.

Novitates.

Gallia.

Parisii 19 Dec. Percepta legatione Caesareo Regiae Maj. Excell. Dux a Cadore seqv. praestitit relationem:

„Domine! Majestas Tua Gallias ad Culmen potentiae evexit. Quinae se mutuo excipientes Coalitiones, omnes ab Anglis excitatae et in iis relatae victoriae eum successum effectumque habuere, et asseverare licet: Gloriam potentiamque magni Imperii nos Angliae in acceptis ferre.”

Quavis rerum occasione Majestas Tua pacem obtulit. Atque, quin disquireret bello ne potior an deterior foret, felicitatis duntaxat generationis rationem habuit, seque ultro promptam praebuit ad probabilitatem futurorum prosperorum eventuum ei immolendam.

„Majore pollens ambitione, regimen tuum communi populorum felicitate gloriosum reddendi, quam Imperii tui dominatum profrendi, Majestas Tua suaemet potentiae limites posuit, interea Anglia continuo facem belli accendens, adversos ipsos quos habebat, foederatos conspirasse visa est, ad Statum ducentis existentem Saeculis ampliolem potentiolemque reddendum.”

Pacis de 1783 occasione Galliarum potentia Familiari Tractatu quo Hispania Neapolisque politicae ejus rationi Status adjugebatur, Gallia inquam potens et viribus valens Status erat

Occasione Ambiacensis pacis potentia

9 magnorum Statuum 12 Incolarum aucta millionibus; Domus regnantes Hispaniae et Galliae prorsus mutua ferebantur hostilitate, atque utriusque Status subditi moribus magis discreti quam ullo unquam tempore. — Secularisationes Germanici politici Corporis vires aemulorum nostrorum ampliores fecere.

Ita factum: ut Gallia Pace Ambiac. confecta minores relativas vires, quam Anno 1783 haberet, atque multo minus notabiles, quam eae fuerint, quas secundum primarum Coalitionum victorias sperare potuisset.

Interim Tractatus hic vix initus est, cum aemulatio Angliae acriter irritata videretur. Opes, continuoque increscens internus flos Galliarum anxiam eam reddidit, speravitque novo foedere ejus frangendas, eam provincius orbendam; Pacem Ambiacensem rupit, finem suum non adeptam.

Anglia omnibus spebus se frustratam experta. Venetiae, Dalmatiae, Illyricam omnis Adriae ora Galliae dominatum subiit, Regnumque Neapolit. Germanici Status Systema principiis quibus Gallicanum Imperium nititur contrarium collabebatur, Systemaque Foederis Rhen. ex iisdem populis Galliae adversis necessarios arctos foederatos creavit, amicoque communis rationis Status vinculo coadunavit. Eo tempore omnes Angliae Statistae Pacem Ambiac. reoptabant.

Novae Galliarum acquisitiones, quae deinceps eripi non posse sperabantur, sensum errorum commissorum excitarunt, idque suo ambitu indicarunt.

Mente cultus vir qui brevi intercapedine Ambiacensis pacis Parisios venit, Galliasque et Maj. V. nosse didicit, summae negotiorum publicorum in Anglia admotus est. Hic eximio fraetus ingenio vir adjuncta utriusque Status perspexit. Probe ille assequebatur: a nulla potentia dependere Galliam regredientem efficere, genuinamque politicam in eo consistere, ut in suo cursu impediatur.

Sensit ea relatis tertia Coalitione victoriis quaestioni huic locum non amplius superesse, idque cogitandum haud esse, Galliae possessiones contravertere, quas acquisivit, verum celeri pace novis incrementis, quae belli prosecutio inevitabilia redderent, praeveniendum occurrendumque esse. Hic Minister nullum ignoravit eorum emolumentorum, quae Galliae ex sinistra Angliae Politica adepti, verum et ea prae oculis habuit, quae adhuc adipiscendo esset. Existimabat: Angliae per posse esse lucrosam si nullam Continentis Status jacturam ferret.

In eo politicam suam collocabat, ut borealem Confoederationem oppositionalem Foederationi Rhenanae efficiat. — Sensit ea, Borussiae solam pacem salutem adferre, et discrimini eripi posse, atque a sorte hujus Status, sortem Saxoniae, Hassiae, Hannoverae, Ostiorumque Amisiae, Jade, Visur-

gis, Albis, Oderae et Vistulae necessariorum Anglicani exportativi pro mercibus deponendis viarum dependere.

Ut sublimiorum consiliorum vir, inani- bus doloris contestationibus Foxius se nequaquam deditit, ob Tractatum Ambiacensem ruptum, atque super irreparabili ab hoc tempore jactura, erat illi consilium majori occurrendi, et Lordium Landerdale Parisios expeditit. — Trachiones inchoatae, omniaque felicem exitum portendebant, cum Foxius supremum obiret.

Pax tandem consequetur, quippe citius aut serius rationes eximiae gentium, Juris et humanitatis affectibus et odio praevalebunt. At eo annorum experientia decuit nos: pacem cum Anglia Commercio simulatam duntaxat securitatem dare posse. Anno 1756, in Februario 1793, 1801, intuitu Hispaniae, prout et in Majo 1803 occasione violatae pacis Ambiac. actus hostilitates Anglia ante auspicata, quam bellum declarasset. In Navibus fide pacis iter facientes, impetus factus est, merces spoliatae, Civos pacifici libertate orbati, portusque Anglici propudiosis repleti tropaeis; si id genus exempla dici renovarentur, tum iter facientes Angli, Anglici mercatores, eorum bona personaeque, quae portubus in nostris a Mari Balthico usque sinum Adriaticum adprehenderentur, pro attentatis his actibus fidem praetarent. —

Si Anglicanum regimen, ut Londinensi populo injustitiam belli oblivioni mandet,

spectaculum insuper horum spoliolorum exhiberet, quae adversus Jura gentium retulit, tum exhibere jacturam quoque, quae ejus consecraria futura, poterit.

Princeps! Usque Anglia secreti Conclavis sui jussis institerit, Maj. Tua suis inhaerebit Decretis.

Eadem Continentis obsidioni, spoliationique marium Confiscationem mercium Anglicanarum opponet. Officii mei reputo Majestati declarare: se deinceps non posse sperare, hostes suos ad moderatam cogitandi rationem perducere, quam perseverando in suo systemate. —

Pro Anglia talis anxia conditio sequatur oportet, qua adigatur tandem agnoscere, Jura Neutralium in mari nequaquam violari, atque eorum in Continente praesidium peti posse; solum malorum ejus fontem in Jussis Secreti ejus Conclavis situm esse, quodque Galliarum amplificatio, quae diu ejus invidiam aemulationemque excitatura, coecis eorum debeatur affectibus, qui pacem Ambiacensem violavere, qui Parisiensem Tractationem abruptere; qui propositiones Tilsit. et Erfartenses rejecere, qui propositiones ante Hollandiae Unionem aspernati sunt, postrema vulnera ejus Commercio potentiae indidere, quique patriam ad Complementum alti sui fati perduxerunt. —

Parisius die 20^a Dec. Decreto Caesareo Regio hesterne Monitore contento pro *Departamentis* Amisiae Visurgis et Albis ostiorum



Regiminis Commissio stabilita est. Constat ea Mareshallo Principe Eckmühl. ceu Gen. Gubernatore et Praeside — ex Consilio Status, quod administrando interna negotia et rem aerariam vacat, et Status Consilio, quod coordinationem Tribunalium demandatam sibi habet. Auditor Causarum penes Regiminis Commissionem munus obit Gen. Secretarii.

Continuatio Sess. diei 20. Dec. D. Cons. Status C. Cafarelli retulit motiva proponendi Senatus Consulti:

1) Oris adsiti Districtus 30 Depart. infra notandorum, ad exercitum terrestrem amplius non concurrant, sed faciendis navalibus stipendiis reserventur.

2) XXX Departamenta quae maritimis Districtibus accensentur ennumerantur.

3) Decem mille conscripti ex singulis Classibus de An. 1813, 14, 15 et 16 ex hodierno dispositioni Ministri rei maritimae traduntur.

4) Praesens Senatus Consultum cum legatione ad Caesareo Regiam Maj. expediatur.

Continuatio sequetur.

Berolino 13. Dec. Regia aula luctum in memoriam regnantis olim Principis Hohenzollern-Hechingen ad triduum induit.

Ex Helvetia 12. Dec. Die 10. h. magnum Tiguri Concilium coepit. Princeps deliberationum fuit: Conventum Gen. praeter ordinem exposcendi argumentum, quod 60 erga 50 suffragiis probatum est.

